

Occumbunt membris pro celsi nomine regis
 Lucida perpetui vocitati lumina regni,
 Quos ita dextra patris revocat super atria celi.
 Signum iudicii pandens, haec taliter inquit:
 Vē vē terrigenis, et toto vē simul orbi!
 Panditur atque tetri puteus pregrandis averni,
 In terris ex quo diffunditur ista propago,
 Quē rabiem cordis cupiens implere maligni,
 Non datur ex toto sed partim ledere iustos.
 Ex hinc etherei laudes reboando¹⁾ ministri
 Conlaudant dominum nocte dieque pium,
 Victor quisque, sacros referens de morte triumphos.
 Nos dedit excelsos mente subire polos.
 Hic tua, summe pater, veneratur lucida sedes,
 Qui celis terras, inclite, consocias.
 Suscipis inde libens famulorum vota tuorum,
 Quē tibi cēlestes dant super astra duces.
 Huic siquidem vere semper genu flectitur omne,
 Atque creaturę agmina stelligerę.
 Dictus stellifer²⁾ Iohannes gratia regis
 Mirans conspicit hos Christi pro nomine cesos.
 Corpore virgo sacer carus dominoque Iohannes
 Mentis in extasi metitur limina templi.
 Hi sunt vero duę regni cēlestis olive.
 Huius cēlicolam subductus partus ad aulam,
 Sic tremebunda fugit tanti terrore draconis,
 Tercia lucendi quo celi portio desit.
 Cum quo cēlestes pugnantes quippe cohortes,
 Ipsum tartareis tradunt sine margine pēnis.
 Eufates flumen, quos furvo vortice cingit,
 Nutu divino mittit per sēcla solutos,
 Armis insignes, vultu pariterque feroces.
 Disperdunt populos flammis ac denique ferro,
 Istud, summe pater, te permittente potenter,
 Qui nos pro nostris sic censes tondier³⁾ actis.
 Cētibz aligeris divina voce vocatis,
 Odibiles Christi, cēlesti cuspide fusi,
 Spe privata quidem vivendi corpora prebent.
 Intonat in tectis vox ut septena supernis,
 Archa Dei patuit cēlebri inspicienda Iohanni.
 Partibus a dextris rectores hi residentes
 Digne discutiant summo cum⁴⁾ iudice mundum,
 Maiestate potens qui sic diiudicat⁵⁾ orbem.
 Agmina millenis semper vexata gehennis
 Inferus ore vomit, repetendaque corpora mittit.
 Equor et exesas per tempora longa catervas,
 Rursus subductas tradit pacienter ad auras.
 Parturit absconsos hominum quoque terra maniplos,
 Occursu domini, quos offert lēta trementi.
 Fulgida sanctorum consortia cerne virorum

1) Hs.: roboando. 2) So verbessert der Corrector stelligere; dieser Vers ist corrupt. 3) (tond)ier auf Rasur, sehr undeutlich. Delisle, der in den Abschriften tenditer fand, dachte an taliter? 4) cum fehlt in der Hs. 5) Hs.: iudicat.